

nas Juris positivi incurrens, juxta Bullam Pii IV. & maxime Pii V. Quia non solum pensio, aut fructus sunt quid temporale, sed & ipsa obligatio resignandi in posterum est pretio æstimabilis.

Secluso omni pacto exteriori, sed tamén cum intentione interna obligandi resignatarium ad aliquid prædictorum, erit quidem simonia mentalis, sed penas Juris non incurrens. Seclusis verò & pacto, & intentione præfata, sed solum sperans, aut confidens resignatarium tibi, vel amico spontè aliquando resignaturum, non videtur simoniacum, simoniae tamén vicinum.

Dico 4. Permutatio simplex Beneficiorum, facta auctoritate superioris, est licita, & valida cap. *Ad questiones. De rerum permutacione.* Per superiorem intelligo in permutacione simplici Papam, Episcopum, imò & collatorem Ecclesiasticum, ubi sic fert consuetudo; secus in permutacione sub pensione, ut modo dicam. Facta permutatio simplex auctoritate propria est invalida, & simoniaca Jure Ecclesiastico, vetante omne pactum circa spiritualia, vel spiritualibus annexa, ut jam sæpè dictum est. Non videtur tamén simoniaca Jure naturali; quia in ea non datur temporale pro spirituali, & è contra, sed spirituale pro spirituali, & temporale pro temporali commutatur. Nec obstat, quòd ex pacto oriatur obligatio; utrimque enim oritur, & sic obligatio obligatione compensatur; nisi forte sic fiat commutatio, quòd obligatio sit tantum ex una parte, quatenus nempe unus dat, & alteri promittit dare in posterum. In hoc enim casu nollem negare esse simoniam Juris naturalis, sicut juxta S. Thom. (*Hic q. 78. a. 8. ad 4.*) obligatio ex parte mutatarum rei mutuandis in posterum est usuraria.

Si insuper objicias, commutatem exercere actum domini in rem spirituales: R. Non omnem actum domini in rem spirituales Jure naturali interdici eam possidenti, si quidem possit illam dare; sed eum dumtaxat, quo res spiritualis venditur.

Ex 2. parte hujus conclusionis inferes, omnes commutationes, aut pactiones, quæ fiunt circa actiones, seu jura inchoata, & necessaria ad Beneficium, esse simoniacas: ut si paciscaris cum Petro, te electurum ipsum in Episcopum, & ipse tibi promittat te, vel alium præsentaturum ad aliud Beneficium. Similiter commutationes, quæ fiunt circa quæcumque alia spiritualia, quibus annexum est temporale, etiam proprie non sint Beneficia, ut si permutes Beneficium cum Capellania non collativa. Porro hæc omnia merito prohibet Ecclesia propter occasionem, periculum, suspensionem, & presumptionem simoniae; quia, quando spirituale permutatur cum alio spirituali, cui temporale est annexum, periculum est, & suspicio, ne id fiat intuitu temporalis, adeoque per temporale comparatur jus ad spirituale, & è contra.

Sed quid, si fiat permutatio in spiritualibus, quibus non est annexum temporale? v. gr. Petrus promittit Paulo Prioratum, si paulus suffragetur ipsi, aut amico pro Provinciali. R. 1. Tale pactum esse grave peccatum, aut ambitionis, aut acceptionis personarum, aut scandali. Id nullus negat. R. 2. Esse etiam simoniacum: ita censuit Facultas Parisiensis in condemnatione hujus Propositionis, *Il n'y a point de Simonie lorsque deux Religieux s'engagent l'un à l'autre en cette sorte: donnez-moi votre voix pour me faire Provincial, & je vous donnerai la mienne pour vous faire Prieur.* Sunt, qui probant hanc responsionem ex eo, quòd, licet spirituale pro spirituali promittatur, obligatio tamén promissionem adimplendi sit onerosa, ideoque pretio æstimabilis: & juxta hanc rationem foret simonia hæc Juris naturalis: sed videtur insufficientis ista ratio: quamvis enim reverà ista obligatio sit pretio æstimabilis, pari tamén obligatione compensatur: unde, quia permutatio privativa Beneficiorum similem utrimque importat obligationem, diximus non esse simoniacam Jure naturali. Quapropter verius puto, hunc casum esse simoniacum vi Regulæ generalis Juris, qua prohibetur omnis pactio, omnis conventio in spiritualibus obligans ad id, quòd non inest jure: sicutque simoniam esse dumtaxat Juris humani.

Dico 5. Permutatio privata Beneficiorum inæqualem quoad dignitatem, aut fructus, compensata inæqualitate dignitatis, aut fructuum pecunia, vel pensione, aut aliquo onere præter naturam permutacionis, est simoniaca Jure naturali: patet, quia ista compensatio est quid temporale datum pro altero Beneficio, aut dignitate spirituali. Nulla verò erit simonia in compensatione fructuum, si fiat auctoritate Papæ: sic tamén ut Papa prius detrahat à titulo Beneficii pinguioris partem fructuum, & assignet eam alteri permutantium; quo facto is alter permutans poterit hanc

partem temporalem vendere, accedente consensu Papæ. Id magis patebit ex sequenti conclusione.

Dico 6. Resignatio Beneficiorum sub pensione facta coram SS. Pontifice est licita. Patet ex Jure C. *Ad questiones, de rerum permutacione*, & ex usu quotidiano. Id etiam ratio suadet: sicut enim SS. Pontifex potest titulo Beneficii plures fructus annexere; sic etiam potest aliquos fructus ab illo subtrahere, & eos, seu jus ad illos alteri concedere, quo casu Beneficium transit ad eum, cui confertur cum onere solvendi istam pensionem. Igitur resignare Beneficium sub pensione nihil est aliud quam resignare ea lege, ut superior partem fructuum à Beneficio separet, & adstringat resignatarium illam solvere resignanti: quòd, inquam, Pontifex ex plenitudine potestatis, quam habet in dispensandis Bonis Ecclesiasticis, jure facere potest.

Dixi: coram SS. Pontifice; quia, licet id olim fuerit concessum Episcopis, ut innuit S. Thom. (*Hic art. 4. ad 3.*) & docent antiqui Canonistæ; attamen consuetudo præscripta, & stylus modernus Curie Romanæ, qui facit Jus, contrarium statuunt, hancque potestatem soli Romano Pontifici adjudicant: & hoc conformiter Juri communi, quo statuitur, ut Ecclesiastica Beneficia sine immunitate conferantur. Extra. cap. unico tit. *Ut Ecclesiastica Beneficia.* Ita Covarr. Soto, Navarr. Toletus, & alii apud Pontas v. *Pension* cas. 10. Vide Cabassutum l. 5. c. 4. n. 11. 12. 13. Adverte autem, penitentes inter se, & resignantem cum resignatario, posse privata auctoritate tractare de pensione, modo non concludant, sed totum referant ad beneplacitum SS. Pontificis.

#### SECTIO IV.

*Leviore quædam difficultates circa præcedentem materiam resolvuntur.*

Quæritur 1. utrum resignans Beneficium possit exigere sumptus, quos fecit pro illius ademptione? R. Negative 1. Quia, ut sæpè dixi, omne pactum in spiritualibus obligans ad id, quòd non inest jure, simoniacum est. 2. Quia non confert Beneficium gratis, sed pro talibus sumptibus recuperandis, cum non alia sit ratio eos exigendi, quam resignatio.

Dices, abesse simoniam, ubi nihil præter indemnitate quaeritur; atqui: ergo. R. veram esse majorem, ubi agitur de indemnitate, quæ compenset expensas ipsi resignationi conjunctas in favorem resignatarii; falsam autem, si agatur de indemnitate, quæ compenset expensas, quas olim resignans fecit, ut Beneficium sibi assereret, ut in casu posito. Hæc enim nihil habent commune cum resignatione, neque factæ sunt propter presentem resignationem, sed propter commodum ejus, qui resignat: & quamvis resignatarius inde commodum reportet, hoc est per accidens, & indirectè.

Quæritur 2. utrum pensio possit absque simonia redimi, seu, ut minus odiosè loquar cum quibusdam, utrum licet extinguatur pensio per solutionem, quæ semel fit abundantioris pecuniæ scilicet plurimum annatarum? Antè responsionem recolere varias species pensionum, de quibus supra. R. 1. redimere pensionem spirituales, existimo, esse simoniam Juris divini: quia eadem videtur esse ratio de illis, ac de Beneficio. 2. Redimere pensionem laicalem non est simonia ex natura rei, cum sit quid temporale. Adverte tamén Sylvius hic ex Filluccio Penitentiario Romano, esse materiam simoniae Juris positivi, si fiat auctoritate privata; quia stylus Curie observat, ut talis pensio non redimatur nisi auctoritate Summi Pontificis; stylus autem Curie facit legem. 3. Redimere pensionem mixtam auctoritate privata non videtur simonia Juris naturalis, quia non est emere jus spirituale, sed extinguere dumtaxat onus temporale, nimirum debitum solvendi quotannis certam summam: idque eò verius puto, quòd secundum Auctores foret simonia Juris redimere talem pensionem per collationem Beneficii, utpotè temporale per spirituale; aliudè hæc redemptio licita est auctoritate Pontificia, quæ tamén nihil potest in Jus naturale, seu divinum. Est tamén sententia communis contra Cajetanum, & Toletum, hanc redemptionem absque auctoritate Summi Pontificis esse simoniam Juris positivi; cuius sententia communis nullum aliud fundamentum reperio in Jure, nisi consuetudinem præscriptam, & stylum Curie Romanæ, qui, ut dixi, facit legem.

Quidam volunt, talem pensionem esse aliquo modo spirituales, aut saltem spirituali annexam; tùm quia non po-

potest dari nisi Clericis; tùm quia Pius V. illi annexuit Officium Marianum. Sed contra inde sequeretur, quòd ejus redemptio auctoritate privata foret simonia Juris naturalis, quòd tamén communiter non admittitur, & patet esse falsum ex dictis. Undè ad primam rationem distinguo. Talis pensio non potest dari nisi Clericis, ita ut Clericatus sit titulus, ob quem datur, N. Datur enim titulus vel sustentationis, vel gratitudinis, vel pacis, &c. Ità ut Clericatus sit dispositio merè concomitans ex parte subjecti, sive conditio sine qua non, C. Eo scilicet modo, quo quis, v. gr. relinquit legatum pauperibus Clericis, quòd sæpè contingit in bursis, ut vocant, Collegiorum, quæ tamén non sunt ideo spirituales. Nec refert, quòd a potestate spirituali, nempe Pontificia, concedatur, non enim omnem, quòd est ab illa potestate concessum, est spirituale: alioquin dominium elemosynæ a Papa, vel Episcopo concessa foret spirituale.

Si dicas; saltem pensionem, quæ datur Pastori seni resignanti, videri spirituales, seu spirituali annexam; quia datur propter officium spirituale præteritum, sicut Præbenda propter officium spirituale præstandum: ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Datur propter officium spirituale præteritum, ita ut officium præteritum sit titulus mediante quo datur pensio, ut in Præbenda, quæ debetur titulo officii spiritualis, N. Ità ut officium præteritum sit conditio sine qua non daretur, C. Est ergo magnus discrimen inter Præbendam, & Pensionem. Præbenda non datur immediate personæ, sed mediane titulo: ita ut Beneficarius immediate acquirat jus ad spirituale officium, ex quo, & mediante quo habet jus ad temporale spirituale annexum, & ideo non potest vendi istud secundum, nisi vendito primo in quo fundatur. At verò pensio conceditur immediate personæ, & non mediane officio spirituali præterito, pro quo jam recepit mercedem sustentationis, & quòd est tantum conditio sine qua non, seu etiam, si vis, motivum concessionis; ita ut solus hujus concessionis vi, & titulo immediate, & non aliquis officii spiritualis, debeat pensio. Vide Lessium hic dub. 22. n. 126. & seq.

Ad 2. rationem, N. Conseq. Ideo enim Beneficium reputatur spirituale, & in vendibile, quia fundatur in officio spirituali, ex quo sequitur, unde dicitur Beneficium propter officium; at pensio non fundatur in officio; e contra officium est posterius jure ad illam, si quidem Pius V. imponat hanc obligationem jam habentibus pensionem, ita ut verum sit dicere, quòd officium sit propter pensionem, & non pensio propter officium. Uno verbo Beneficium annexitur spirituali consequenter: pensio autem antecedenter. Scio, Lessium, Cabassutum, & alios sentire vi hujus Bullæ Planæ, ubi recepta est, pensiones Beneficiorum erectas esse in spirituales statum, sed meo sensu non consequenter ad sua principia; non enim tunc esset magis vendibilis, quam Beneficium, quòd tamén non admittunt laudati Auctores.

Quæritur 3. Utrum pensio cesset morte Resignatarii? R. Cabassutus Theor. & prax. l. 2. c. 14. n. 15. dicit juxta Glossam, & Doctores in caput *Nisi de Præbendis*, non cessare, sed obligationem ejus solvendæ transire ad successores Resignatarii. Et n. 14. refert clausulam apponi solitam in Litteris concessionis in Curia Romana, qua ad id astringuntur iidem successores. Observat tamén Pontas v. *Pension* cas. 3. receptum esse in pluribus Regni Gallie Provinciis, pensionem cessare morte Resignatarii, nisi pensionarius obtineat a suprema Curia decretum, quo obligatio illam solvendi extendatur ad successores Resignatarii.

Quæritur 4. Utrum abdicatio, seu renuntiatio pura Beneficii, hoc est, neminem collatori commendando, facta inscio Superiore, sit valida? R. Non valere, si Beneficium sit pacifice acquisitum, & possessum. Extra. *De Renuntiatione* c. 8. & 10. Unde non vacat Beneficium per talem renuntiationem. Valere autem, si Beneficium sit litigiosum, aut habeatur tantum jus ad rem. Ità fert communis praxis.

Quæritur 5. Utrum permutans possit privata auctoritate redire ad suum Beneficium, si antè completam permutacionem alter moriatur, aut ejus Beneficium non sit permutabile. R. Probabilis affirmativè contra P. Henno, quia non renuntiavit absolute suo Beneficio, ut contendit laudatus Auctor, sed ex suppositione tantum, & sub conditione alterius Beneficii adipiscendi; qua conditione non purificata, non amittit titulum, nec possessionem sui Beneficii. Ità sentire videtur Platellius hic n. 845. Idem existimo dicendum de eo, qui resignavit simoniacè; cum enim nulla sit ejus resignatio, non amittit titulum, aut possessionem sui Beneficii.

Quæritur 6. Quænam dicantur Beneficia incompatibilia, quæ compatibilia? R. Beneficia incompatibilia sunt duplicis generis. Incompatibilia primi generis dicuntur, quæ talia sunt ex Juris dispositione, ut per pacificam possessionem secundi vacet prius; qualia sunt plures Episcopatus, plura Beneficia curata, duo Canonici, aut due Capellanie habentes idem Officium. Incompatibilia secundi generis dicuntur, quæ, quamvis retineri non possint absque dispensatione, tamén non ita repugnant, ut unum vacet altero obtento. Hujusmodi sunt omnia Beneficia simplicia residentiam incompatibilem poscentia. Cætera verò sub altero horum membrorum non contenta sunt compatibilia, qualia sunt difformia sub eodem tecto, v. gr. Præpositura, & Canonici simplex, due Capellanie habentes Officia diversa, quibus unus satisfacere potest.

Quæritur 7. Utrum Beneficia Equitum Melitensium, & simillium, vulgò Commendæ Militares, possint vendi absque simonia? R. affirmative, quia non videntur proprie Beneficia, sed subsidia temporalia titulo Laicali concessa: nempe propter obsequia temporalia præstita, vel præstanda in defensionem Ecclesiæ. Et quamvis quædam sint, quæ non nisi Religiosis Professis conferantur, Religio tamén non est titulus, cur conferatur, sed tantum conditio sine qua non; titulus enim, ut dixi, est obsequium temporale. Nec obstat, Commendatarios teneri ad certas preces, hæc enim obligatio ipsius incumbit ratione suæ Professionis, non ratione Commendæ. Est tamén talis venditio illicita, quia est contra mentem Fundatorum, quæ fuit, ut daretur ob defensam, vel defensionem Rempublicam Christianam.

Quæritur 8. Utrum Papa possit esse Simoniacus? R. Certum est 1. (*Hic a. 1. ad 7.*) Papam posse incurere reatum simoniae Juris naturalis, & divini; quia, quamvis res Ecclesiasticæ sint ejus ut dispensatoris principalis, non tamén sunt ejus ut Domini, & Possessoris; nec minus Juri naturali, aut divino subditur, quam quivis alius mortalis. Certum est 2. Papam Simoniacum non incurere penas latis a Jure positivo contra Simoniacos: quia non tenetur suis, aut Ecclesiæ Legibus quoad vim coactivam; nemo enim nisi a suo Superiore cogitur, & punitur. Difficultas ergo restat de simonia Juris Ecclesiastici. Pendet autem ejus resolutio ex his, quæ dicuntur 1. 2. q. 96. a. 1. ubi disputatur, an Legislator adstringatur suis Legibus. Porro juxta ea, quæ ibi traduntur communiter, mihi probabilis est, Papam posse incurere simoniam Juris humani: quia, ut ibidem dicitur, licet Princeps, aut Legislator non subdatur suis Legibus quoad vim coactivam, subditur tamén quoad vim directivam in iis rebus, quæ æquè spectant Principem, ac subditos: hoc est, tenetur mores suos componere secundum Legem, non quidem directè vi Legis positæ, cum nemo sibi ipsi sit superior, aut sibi imperet, sed ex æquitate naturali, & Legis naturalis dictamine, quæ jubet caput membris conformari in iis, quæ spectant bonum commune, nec patitur Principem aliam sibi, aliam subditis Legem imponere in pari causa. Et quia illa obligatio generalis contrahitur secundum variam materiam, & species virtutum, ad quas subditi obligantur, hinc sequitur Legislatorem contra Legem agentem peccare pro conditione materiæ, vel virtutis præceptæ, ut si, v. gr. Papa non jejunet tempore Quadragesimæ, peccat contra Temperantiam; si omittit Sacrum in die Festo, contra Religionem; & in subjecta materia, si vendat Officia Ecclesiastica, peccat peccato simoniae.

Adverte tamen, Legislatorem agentem contra legem, secluso scandalo, vel damno, vel injuria tertii, non ita facilè peccare mortalitèr, ac subditos. Quia, ut dictum est, non adstringitur vi legis positæ, sed tantum illa æquitate naturali, qua tenetur se conformare subditis in pari causa; quæ æquitas naturalis non videtur tam strictè obligare. Non negamus tantèn fore peccatum mortale, si ageret contra legem in re graviori, & ubi enorme foret Principem discordare a subditis: v. gr. si Papa nequidem semel in anno communicaret, aut confiteretur, si die Paschæ Missam non audierit; quia tunc videretur violari notabilitèr æquitas naturalis.

#### ARTICULUS VII.

De Penas Simoniacorum.

§. I. Utrum simoniacè accepta sint restituenda?

Dico 1. Collatio Beneficii simoniaca est nulla Jure positivo. Extra. l. 5. tit. 3. *de simon.* c. 26. Et Extrav. *de simon.* cap. *Cum detestabile.* Ideoque tam Beneficium, quam

quam pretium ipso eodem Jure positivo ante sententiam Judicis sunt restituenda. Est communis, & certa; sed difficultas est de Jure naturæ, quod non solum Beneficia, sed quæcumque alia spiritalia simoniacè data, & accepta spectat. Pro quo cum D. Thom. & aliis communis, contra Lessium, & alios.

Dico 2. (Hic a. 6. o.) Beneficia, & quæcumque alia spiritalia simoniacè accepta sunt ipso Jure naturæ restituenda ante sententiam Judicis. Prob. (Ib.) Nullus potest licitè recipere id, quod contra voluntatem domini acquisivit, puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset; atqui Dominus, cujus Prælati Ecclesiarum sunt Dispensatores, & Ministri, ordinavit, ut spiritalia gratis darentur secundum illud Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date*: ergo, qui muneris intervenit spiritalia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest, & consequenter ipso Jure naturæ tenetur restituere ante sententiam Judicis. Confirm. Contractus simoniacus, quo spiritalia venduntur, est ipso Jure naturæ absolutè nullus; atqui, quod acquiritur per contractum absolutè nullum, est ipso Jure naturæ restituendum ante sententiam Judicis: ergo. Prob. Major. Ille contractus est absolutè ipso Jure naturæ nullus, quo venditur i. id, quod ex se non est vendibile. 2. Id, cujus venditor non habet dominium, neque domini consensus; atqui spiritalia quæcumque secundum se non sunt vendibilia, ut dictum est supra, neque vendens habet eorum dominium, aut domini consensus, ut modo dicebamus: ergo.

Dices cum Lessio: In collatore fuit potestas, & voluntas transferendi Beneficium; in collatorio capacitas, & voluntas illud recipiendi; atqui hæc in quavis re sufficiunt ad transferendam dominium: ergo collatio simoniaca Beneficium ipso Jure naturæ est valida. R. N. in collatore fuisse potestatem transferendi Beneficium, nimirum illud vendendo: ut patet ex probationibus conclusionis.

Inst. cum eodem: Ordo simoniacè collatus, vel receptus, tenet: ergo & Beneficium simoniacè collatum, aut acceptum. R. N. Conseq. Est enim singularis exceptio in collatione Sacramentorum maxime imprimendum characterem propter institutionem Christi. Sic enim ea Christus instituit, ut voluerit ea validè conferri, quando non esset obex, hoc est, quando applicaretur forma materiæ cum intentione faciendi, & recipiendi, quod ipse instituit, quod totum reperitur in ordinatione aliunde simoniaca, unde valida est, & imprimit characterem: (Ibid. ad 1.) Est tamen illicita, & idè ordinatus nec gratiam, nec Ordinis executionem recipit; eo quod quasi furtivè suscipit characterem contra principalem Domini voluntatem. In Beneficium autem collatione nihil simile occurrit, quo fiat valida; sed est mera venditio, & emptio rei invendibilis, & sine consensu Domini, adeoque ipso Jure naturæ nulla.

Utrum alia Sacramenta, non imprimenda characterem, ut Matrimonium, simoniacè collata, aut suscepta valeant, dubium est. S. Th. loquitur de solis imprimendis characterem. Ratio tamen, petita ex institutione Christi, videtur pro omnibus militare.

Repones cum eodem Lessio: Professus per simoniam est verè Religiosus: ut omnes conveniunt: ergo & consecutus Beneficium per simoniam est verè Beneficiarius, secluso Jure positivo. R. N. Conseq. Disparitas est, quod vota emissa in iis circumstantiis, quas Ecclesia requirit ad eorum validitatem, qualia hic supponuntur, sint valida; per vota autem valida fit Religiosus, non per emptionem status Religiosi; at simoniaca collatio nihil habet, quo constituitur Beneficiarius, nisi ipsam emptionem Beneficium. Et quia vota solemnia commode observari non possunt extra Monasterium, idè ad tempus toleratur, quod Religiosus maneat in eodem Monasterio, & quod Monasterium retineat pretium pro ejus alimentis, donec Ecclesia, seu Juxta aliter ordinaverit: sic autem de hujusmodi simoniacis debet ordinare juxta Concilium Later. sub Innocentio III. (Ibid. ad 1.) Extra De simonia c. *Quoniam* 40. *si eis scientibus commissa est simonia, sine spe restitutionis de Monasterio suo expellantur, & ad agendam penitentiam perpetuam sunt in arctiori Regula ponendi, vel in aliquo loco ejusdem Ordinis, si arctior Ordo non inveniretur... Si vero ipsi ignorantibus... sint simoniacè recepti; postquam renuntiaverint, possunt de novo recipi, locis mutatis*: hoc est, prioribus relictis, & inferioribus assignatis.

Dices 2. Nullus debet panari pro eo, quod non est factum eo sciente, & volente, quia poena debetur peccato, quod est voluntarium; atqui secundum nos citra culpam

aliquis puniretur privatione sui Beneficium, si nempe ipsi inscio conferretur simoniacè Beneficium: ergo. R. (Ibid. ad 3.) Quod hoc, quod aliquis privetur eo, quod accepit, non solum est poena peccati, sed etiam quandoquæ est effectus injuste acquisitionis; puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest, ut fit in presenti casu. Itaque (Ibid.) si aliquis scienter, & propria sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum Beneficium, non solum privatur eo, quod accepit, ut careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis; sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia, excommunicatur, &c. ut infra dicemus: & tenetur ad restituendos fructus, non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuissent a Possessore diligeni, quia possidet mala fide, exceptis tamen fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitate Ecclesie. Si vero, (Ibid.) eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio simoniacè procuratur, caret quidem Ordinis executione, & tenetur resignare Beneficium cum fructibus extantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos, nisi in quantum ex illis factus est ditior, quia bona fide possidet. Sed (Ibid.) si inimicus fraudulenter daret pecuniam pro alicujus promotione, vel si ipse promotus expressè contraxerit, tunc non tenetur ad renunciandum, nisi forte postmodum facto consenserit solvendo, quod fuit promissum. Ità cap. *Sicut tuis* Extr. De Simonia. Non quidem quod talis collatio sit Jure naturæ valida; sed quia in hoc casu Ecclesia supplet, quod deest ad validitatem, ita ut auctoritate sua suprema censetur conferre Beneficium. Hujusque dispositionis rationem assignat Pontifex ibidem: *Alioquin, inquit, contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis damnosum existeret, cum populus displiceret; & sic aliquis de fraude sua commoda reportaret*. Ex quibus verbis D. Th. & Juris in textibus colligo, in duplici casu Beneficium simoniacè acceptum non debere dimitti. 1. Si inscio Beneficiario simonia per inimicum commissa est. 2. Si Beneficiarius simonia a quovis committente expressè contradixerit, modo postea factio non consentiat solvendo, quod promissum est.

Petes, utrum extra hos casus simoniacè provisos sine sua notitia, vel culpa non gaudeat saltem privilegio triennalis possessionis, ita ut, eo elapso, tunc possit retinere Beneficium; etiam postea ipsi innovescat simonia. R. multos id affirmare, quia cum bona fide habet titulum coloratum; tamen tamen, & verius existimo contrarium; quia ipsa Regula Cancellarie de triennali possessione ipsum videtur excipere; hæc sunt ejus verba: *Voluit, & ordinavit Dominus noster, ut, si quis quicumque Beneficia Ecclesiastica qualicumque sint absque simoniaco ingressu ex Apostolica, vel ordinaria collatione per triennium pacificè possiderit, si se non intruserit, super hujusmodi Beneficiis molestari nequeat, nec non impetraciones de Beneficiis sic possessis factas irritas, & inanes censerit, deerevit*. Idem habet concordatum, initum inter Leonem X. & Franciscum I. tit. De pacificis possessoribus. Cum ergo ipsa Regula generaliter, & indistinctè excludat simoniacum ingressum, videtur intelligendam, esse de simonia inculpatam. Idque insinuat cap. *Et insinuatione* 26. De simon. Ita censet Molineus, quem citat, & sequitur Pontas verbo *Possessionis*. cas. 1. referre sententias Curiarum supremarum, in confirmationem. Cabassutus Theor. & prax. l. 2. c. 20. n. 18.

Dico 3. Pretium, simoniacè acceptum pro quacumque re spiritali, est pariter Jure naturæ restitutum obnoxium ante sententiam Judicis. Ità cum D. Th. (Ibid. ad 1. & ad 4. & q. 32. a. 7.) & pluribus aliis contra plures. Prob. quia, ut dictum est, contractus, vi cuius illud pretium accipitur, nempe venditio rei spiritalis est nullus, adeoque ex hac parte recipiens nullum habet titulum illud retinendi; sicut, qui in civilibus accipit pretium pro re aliena, quam vendere non poterat, illud retinere non potest. Confirmatur: Usurarius tenetur Jure naturæ ante sententiam Judicis restituere lucrum usurarium: ergo & simoniacus pretium rei spiritalis.

Dices 1. ut supra. In conferente pretium est voluntas & potestas transferendi ejus dominium, & pariter in recipiente est capacitas, & voluntas illud acceptandi; atqui hæc in quavis re sufficiunt ad transferendum dominium: ergo. R. N. Majorem pro prima parte, scilicet inesse conferenti pretium voluntatem, & potestatem transferendi ejus dominium in presenti casu. 1. Non est voluntas; quia ut suppono, non vult dare gratis, sed solvere in quantum debet, & in quantum alter habet jus ad illum. Non enim intendit cedere alteri plus juris, quam habet: ipse autem nihil debet, & alter non habet jus ad pretium. Si

penitentiam satisfacere Creatori. Hæc, salvo meliori judicio,

### §. II. Cui simoniacè accepta sint restituenda?

Dico 1. Abdicatio Beneficium, simoniacè accepti, fieri debet inter manus collatoris, cum non sit alius, qui illud legitime conferre possit. Sed quid, si collator etiam in ipsa Beneficium collatione sit simoniacus, adeoque excommunicatus? Respondet Pontas v. *Collation*. cas. 9. quod, si ejus excommunicatio sit occulta, non privetur jure collationis; quia toleratur ab Ecclesia quoad forum exterius. Si autem sit publica, privatur jure collationis; in quo casu devolvitur ad Ordinarium, in cuius proinde manibus facienda erit abdicatio Beneficium.

Dico 2. (Hic a. 6. ad 4. q. 32. a. 7. o. q. 62. a. 5. ad 2.) Pretium simoniacè acceptum, sive sit pecunia, sive possessio, sive fructus, debet restitui Ecclesie, in cuius injuriam datum fuit, non obstante quod Prælati, vel aliquis de Collegio illius Ecclesie fuit in culpa, quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quod, quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si vero Prælati, & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate superioris, vel papæ, vel alteri Ecclesie erogari. C. De hoc 11. Extr. de simon. & cap. *Audivimus*. 41. eodem tit.

Sylvius hic conclusionem 2. intelligit hanc D. Thomæ resolutionem, quando res spiritualis est tradita, vulgare, quod, quando res spiritualis nondum est tradita, pretium pro ea acceptum sit restituendum ei, qui dedit, & dicit esse sententiam Cajet. Viet. Dominici, Lessii, Malderti, & communem; fundaturque in cap. *Dilectus* 28. Extr. de simon. Nolim ego solus sententiam tantorum virorum, & communem, si ita sit, impugnare. Unum dico, in laudato capite *Dilectus*, quo unico fundamento nititur ista sententia, agi de eo, qui pecuniam dederat non simoniacè, sed ad redimendam injustam vexationem sibi irrogatam in suis dignitatibus, & Beneficium ab Archidiacono Eboracensi; placet verba Canonis referre: *Dilectus filius N. Præpositus nobis exposuit, quod, cum Eboracensis Archidiaconus eum multis gravaminibus afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecunie se daturum, et ab ipsius desideret lesione. Verum dictus Archidiaconus post receptionem pecunie, super dignitatibus, & Beneficiis suis ab ejus molestia non quievit: idèque Dilectioni vestræ mandamus, quatenus, si res ita se habet, Archidiaconum restituere quod accepit (si eum contra promissionem suam fuisse constituerit) compellatis*. In quo sane casu nulli dubium est, pecuniam esse restituendam ei, qui dedit, quia, cum non sit in culpa, non meretur ea privari. Nostra autem, & S. Thomæ resolutio est de eo, qui simoniacus est in collatione pretii.

Dico 3. (Ibid.) Hæc restitutio in usus pios, de quo in præced. conclusione, facienda est ante sententiam Judicis. Ità post D. Th. communis Doctores. Ratio petitur ex Juribus laudatis C. De hoc, &c. *Audivimus*, ubi præcipitur Regibus, Principibus, Episcopis, ut, quæ simoniacè receperint, restituant Ecclesie, seu in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium. Non est autem verisimile, quod Jura præcipiant hæc fieri post sententiam Judicis, cum ordinariè non sit Judex, qui Reges, Principes, Episcopos ad hujusmodi restitutionem condemnet.

Dices 1. Poena non debetur ante sententiam Judicis: ergo. R. N. Cons. quod enim simoniacus teneatur ad hanc restitutionem, non solum est poena, sed etiam præceptum Ecclesiasticum Juri divino consonum, secundum D. Th. locis citatis.

Dices 2. Qui pretium dedit, non amisit dominium illius: ergo debet illi restitui. Prob. Ant. 1. Jura laudata, seu alia non privant eum tali dominio. 2. Accipiens jure est incapax talis domini capiendi per contractum simoniacum, & conferens non intendit illud a se abdicare nisi per talem contractum: ergo remanet apud ipsum. R. 1. Dato Ant. N. Cons. Quando enim aliquis dat aliquid illicitè, & contra Legem, licet de facto non amittat ejus dominium, meretur tamen amittere, unde non debet ei fieri restitutio. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in usus pios convertere. R. 2. D. Ant. non amisit dominium immediatè per Legem, C. quia reverà Lex de facto eum non privat: Mediate, N. Cum enim Lex præcipiat recipienti, ut expendat istud pretium in usus pios, hoc facit, & tali restitutione facta vi Legis privatur, qui dedit, hujus pretii dominio.

Dices 3. Cap. *Veniens*. Extra. de simonia jubetur pretium

Sicut ergo usurarius tenetur restituere lucrum usurarium, quia, qui solvit usuras, non intendit plus juris ei tribuere, quam habet, ita in nostro casu. 2. Non adest potestas, quia conferens pretium contendit ejus dominium transferre per contractum venditionis, & emptionis, qui Jure naturæ nullus est. Quod si forte conferens haberet intentionem donandi, quovis posset modo, etiam gratis, tunc recipiens simoniacè non videretur obnoxius restitutioni Jure naturæ, nisi ex conscientia erronea.

Dices 2. Si pretium simoniacè acceptum esse Jure naturæ restituendum, non posset SS. Pontifex in ejus retentione dispensare; quod est tamen contra Juris dispositionem. Extravag. *Sane* tit. de Simonia: ergo. R. N. Sequelam: quia, cum, ut dicemus infra, tale pretium sit Ecclesie restituendum, & SS. Pontifex sit Supremus bonorum Ecclesiasticorum Administrator, potest justis interventibus causis illi, qui simoniacè recepit, sicut alteri, assignare.

Dices 3. contra hanc, & præcedentem conclusionem. Si simoniacè data, & accepta Jure naturæ essent restituenda, non solum simoniaci in Ordine, Beneficio, & Religione tenerentur ad restitutionem, sed omnes alii in quacumque re spiritali; atqui hos solos tres Ecclesia in Jure declaravit teneri ad restitutionem: ergo. R. reverà omnes omnino Simoniacos attentè Jure naturæ teneri ad restitutionem: Ecclesia tamen hoc specialiter declaravit, & sancivit proprio Jure de tribus assignatis, quia frequentiores sunt, & Ecclesiastico regimini magis nocivi. Nec tamen omnino de aliis siliit; nam c. *Audivimus*. Extr. de Simonia adstringit Episcopos restituere, quod pro seculatura exegerint. Verùm major est difficultas de Simoniaco mentali, non quidem purè mentali, qui solo affectu talis nihil exterior dedit, aut accepit; sed de illo, qui, nullo pacto etiam implicitè exteriori interveniente accepit tamen, aut dedit aliquid tamquam pretium pro re spiritali; quæstio, inquam, est, utrum teneatur ad restitutionem non secus, ac simoniacus realis? Utrique probabiliter disputant Auctores. Sub distinctione respondendum existimo. Undè

Dico 4. Si simonia mentalis interveniat ex utraque parte, collatoris scilicet, & collatarii, uterque debet restituere. Si ex una parte tantum, pars simoniaca nihil debet restituere, sed altera; dum simonia alterius erit conscientia. Prob. & elucidatur conclusio in exemplo: Sempronius ex intentione simoniaca contulit Beneficium Camillo, & Camillus pari intentione dedit Sempronio temporale pro Beneficio. Camillus debet restituere Beneficium, quia Sempronius illud ei contulit titulo venditionis, quod non potuit valide, cum ad id non haberet consensum Domini, & res esset invendibilis. Pariter Sempronius debet restituere pretium; quia Camillus illud ei dedit titulo emptionis, quod etiam valide non potuit: unde neuter habet titulum retinendi vel Beneficium, vel pretium. Si vero Sempronius intendit vendere Beneficium, sed Camillus ei dederit gratis temporale, Camillus non potest quidem retinere Beneficium, quia illud ei invalide contulit Sempronius, ut patet ex dictis; sed Sempronius potest retinere temporale, quia illud ei valide dedit Camillus, scilicet liberali donatione. Et e contra, si Sempronius gratis contulit Beneficium, & Camillus intendit illud emere, potest Camillus retinere Beneficium utpote gratis, & valide ei collatum a Sempronio; sed Sempronius non potest retinere pretium, quia invalide collatum a Camillo. Hæc intellige secundum se; per accidens enim ignorantia simoniacæ intentionis in compare potest alteram partem excusare a restitutione, ad quam secundum se teneretur. Undè dixi: *dum simonia alterius erit conscientia*.

Secundum hanc distinctionem facile explicamus duas auctoritates, in quarum solutione operose laborant, qui sine distinctione tenent omnes simoniacos mentales teneri ad restitutionem. Prima est Gregorii IX. Extr. c. *Mandato*. tit. de Simon. Ubi dicit, eos, qui nullo pacto; sed solo affectu animi sunt simoniaci, non teneri ad resignationes spiritalium, & temporalium, sed sufficere per solam penitentiam satisfacere Creatori. Secunda est D. Thomæ, qui hic ad 6. dicit, *quod simoniacus mentalis quoad penam Ecclesiasticam exteriorum, non ponitur ut abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione penitere*. Hæc, inquam, vera sunt in sententia nostra. Reverà enim secundum nos simoniacus mentalis non teneretur restituere, quia est simoniacus, sed quia recepit, quod alter simoniacè ipsi dedit, id est, quod debet de mala intentione penitere. Hæc, inquam, vera sunt in sententia nostra. Reverà enim secundum nos simoniacus mentalis non teneretur restituere, quia est simoniacus, sed quia recepit, quod alter simoniacè ipsi dedit, id est, quod debet de mala intentione penitere. Pro propria autem simonia mentali, si hanc etiam ipse admisit, sufficit per solam

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

tium reddi illi, qui dederat, nempe Monacho per simoniam recepto: ergo. R. Id specialiter statutum fuisse pro hoc casu particulari: 1. Quia ille Monachus bona fide, & inculpate pecuniam dederat, exacta enim ab eo fuerat prætextu consuetudinis, ut observat Covarrubias. 2. Quia ad aliud Monasterium transire compellebatur, & ideo debebat secum asportare pecuniam pro alimentis necessariis.

§. III. De aliis penis Simoniacorum.

Præter obligationem restituendi, de qua §§. præcedentibus, & quæ non tam est poena, quam effectus injustæ acquisitionis, varias alias poenas incurrunt simoniaci, ut suspensio, excommunicatio, &c. pro quo Suppono 1. ut certum, nullam simoniam inducere poenas Juris ipso facto, nisi sit commissæ in his tribus 1. in Ordinibus, sive majoribus, sive minoribus, sive susceptis, sive collatis. 2. in Beneficiis. 3. in ingressu, vel professione Religionis. Simoniacus in aliis, licet graviter peccet, & possit iisdem poenis puniri per sententiam Judicis, eas tamen ipso facto non incurrit; Ecclesia enim solum tres assignatos casus ipso facto poenis subicit: quia, ut jam dixi, frequentius accidunt, & sunt magis nocivi regimini Ecclesie. Ita communitur.

Suppono 2. ut probabilis, nullam simoniam inducere ipso facto poenas Juris, nisi sit realis completa: hoc est nisi ex pacto explicito, vel implicito sit datum spirituale ex una parte, & ex altera temporale, saltim quoad aliud; unde neque mentalis, neque conventionalis etiam mixta, seu ex una parte completa, eas inducunt. Ita Sylvius hic, Layman, Lessius, post Navarrum, Armillam, Binsfeld, Covarrubiam, Gomecium, & alios contra Cajetanum, Soto, Tolet, Garcias, Henno &c. qui contendunt, quod, quando res spiritualis est tradita, licet non tradito pretio, poenas incurrantur.

Verum, quamvis in rigore simonia purè conventionalis videatur incurere poenas Juris; quia ad substantiam contractus emptio, & venditionis sufficit conventio, seu consensus mutuus; tamen juxta stylum Curie Romanæ non incurrit, nisi utrinque sit completa, teste Navarro apud Lessium, & Layman. Et ratio esse potest; quia poenæ tam graves, & quæ ipso facto incurrantur, strictæ interpretationis esse debent, ita ut, dum feruntur in aliquod opus peccaminosum, intelligantur tantum de opere completo, nisi contrarium aperte exprimat. Confirmatur: simonia conventionalis, completa ex parte solius temporalis secundum omnes, & etiam ipsius adversarios, non incurrit de facto poenas Juris: ergo nec completa ex parte solius spiritualis; non enim est potior ratio pro uno, quam pro alio, nec magis perfecta est venditio, aut emptio per traditionem solius spiritualis, quam per traditionem solius temporalis.

P. Henno opponi 1. cap. 5. q. 3. ubi dicitur: *Quidquid ergo, vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia, acquisitum est, non irritum esse, & nullas unquam vires habere, censemus.* 2. in Extravag. 1. de simonia loquens Pontifex de suspensio ob simoniam ab Ordinibus, ait etiam comprehendit illum, qui sub promissione pecunie Ordines receperit. 3. cap. 2. de Confessis Extra. spoliatur Canonicus Beneficio, eo quod electionem promissa pecunia, non tradita, vendiderat. 4. Toletus, & Garcias asserunt, talem esse stylum Curie Romanæ. R. Ad 1. omnem conventionem simoniacam, etiam incompletam, jure naturæ independentè a Jure positivo esse irritam; unde verum est Pontificis dictum etiam in nostra sententia. Ad 2. nihil tale legitur in Extravag. citata, ubi tantum agitur de simonia in ingressu Religionis. Ad 3. spoliatur Canonicus Beneficio non ipso facto, sed per definitivam sententiam Pontificis, ut ibi expressè dicitur. Ad 4. Toletus, & Garcias oppono Navarrum, Lessium, Sylviu, & alios, qui contrarium asserunt.

Notandum tamen, quod, si conventio simoniacæ ab initio incompleta postea compleatur, tunc incurrantur poenæ, imò retrahuntur ex fictione Juris ad tempus pactionis juxta stylum Curie Romanæ, ut docet Lessius post Navarrum. Probabile est tamen juxta eosdem, & Henriquez, hanc retractionem non habere locum pro foro conscientie, quia Canonæ id non statuunt, sed tantum pro foro externo. Nemo enim verè est excommunicatus coram Deo, nisi sit contumax; verè autem non est contumax, nisi cum fecerit illud, quod sub poena excommunicationis ei erat prohibendum.

Cæterum ab hac 2. suppositione excipitur simonia con-

fidentialis, quæ, licet non sit completa ex utraque parte, inducit tamen ipso facto excommunicationem, & alias poenas Juris, propter Bullam Pii IV. *Romanum Pontificem*, 1564. & Bullam Pii V. *Involuntabilis* 1580. Quapropter hoc ipso quo alteri confers, seu procuras, aut resignas Beneficium cum pacto explicito, vel implicito, ut illud idem, aut illius fructus, seu fructuum pars, tibi vel tuo nepoti, aut alteri conferatur, seu ex eo pensio solvatur (quod est simonia confidentialis) ipso facto omnes Juris poenas incurris.

Pontas v. *Simonie*, casu 7. docet, solos simoniacos per munus a manu incurere poenas Juris; non simoniacos per munus ab obsequio, & a lingua; & horum Beneficia non esse impetrabilia in foro exteriori: quantum autem ad forum interius penes Confessarium esse, ut justis de causis permittat eis retinere Beneficia. Verum, quibus fundamentis nititur hæc resolutio, non apparet: nullum profert laudatus Auctor, nec ullum hucusquè reperi in Jure, aut in aliquo alio Auctore. His præmissis,

Circà Ordines.

Dico 1. Conferens simoniacè Ordines, sive majores, sive minores 1. est excommunicatus; Extrav. *Cum detestabile de simonia*. 2. Est suspensus a cujusvis Ordinis etiam Tonsuræ, collatione, & ab executione omnium munerum Pontificalium, ut a consecratione Tempiorum, benedictione vestium sacrarum &c. Bulla *Sanctum, & salutare* Sixti V. data ann. 1588. 3. Est illi interdictus ingressus Ecclesie, ibidem. Penam excommunicationis innovat Concil. Trid. sess. 21. c. de Ref. Potat Lessius hic dub. 23. n. 194. Bullam Sixtinam non esse usu receptam.

Quidam hanc excommunicationem extendunt ad eos, qui pro prima tonsura, vel pro literis dimissorialibus, aut testimonialibus, aut sigillo aliquid simoniacè accipiunt: quia Tridentinum loco cit. cum prohibuisset aliquid recipi etiam spontè oblatum pro collatione Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, pro sigillo, aliave causa, tandem subjicit: *Si contra fecerint, tam dantes, quam accipientes poenas a Jure inflictas incurrant.* Verum non infundat observat Lessius hic dub. 23. post Navarrum, quod Concilium non intendat novas poenas inducere (aliàs id expressis declarasset) sed solum renovare, quod illa verba *Penas Juris incurrant* referenda sint ad eos, in quos Jure statuta sunt, nempe ad conferentes, & recipientes Ordinem simoniacè. Aliud durum videtur, Episcopum, aut ejus Ministros excommunicari, quod aliquid acceperint spontè oblatum.

Dico 2. Suscipiens simoniacè aliquem Ordinem 1. est excommunicatus; Extravag. citata *Cum detestabile*. 2. Est suspensus ab executione Ordinum, & probabilis omnium ibidem. 3. Si in ea suspensione ministret, fit irregularis, utpotè violans censuram, & privatur ipso facto omnibus dignitatibus, Beneficiis, Officiis, & fit inhabilis ad omnia. Bulla Sixtina cit.

Circà Beneficia.

Dico 2. Simoniacè conferens, aut suscipiens Beneficium excommunicatur ipso facto. Extravag. cit. *Cum detestabile*. Et insuper suscipiens fit inhabilis ad illud possidendum. Extrav. cap. *Novis fuit tit. De Simonia*. Non tamen ad alia Beneficia, sive obtenta, sive obtinenda, nisi per sententiam Judicis id statuatur: nullum enim Jus hanc poenam de facto imponit. Profertur quidem Bulla S. Pii V. *Cum primum*, quæ est §. in Bullario, sed observat Layman hic §. 7. in fine post Suaresium, hanc Bullam secundum hanc sui partem non esse usu receptam. Debet tamen Simoniacus, priusquam obtineat aliud Beneficium, absolvi ab excommunicatione, saltim ad hunc effectum, ut fieri solet in provisionibus Pontificis, quia, ut docet Cabassius libr. 5. Theor. & Prax. c. 11. n. 8. Excommunicatio, aliave censura, atque irregularitas præcedens electionem, aut provisionem Beneficii facit eam invalidam, & irritam, licet collato jam Beneficio superveniens non inducat Beneficii vacationem.

Dico 3. Mediatoris in Simonia Ordinis, & Beneficii excommunicatur ipso facto. Extrav. cit. *Cum detestabile*.

Circà ingressum Religionis.

Dico: Personæ particulares simoniacè in ingressu, vel professione Religionis, tam dantes, quam accipientes, excommunicantur ipso facto; & communitas, si in hac

simoniam consenserit, suspenditur, nimirum ab officio capitulari pertinet ad jurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam. Extravag. *Sanct. De Simonia*. Lessius hic dub. 23. n. 131. putat, hanc extravagantem non esse usu receptam; quod quidem

videtur verum quantum ad aliquod, nempe quantum ad Pastus & prænata, quæ solent fieri in ingressu & professione Religionis. Porro nota, has omnes censuras, huc usquè recensitas esse Pontificas.

TRACTATUS  
DE CÆTERIS VIRTUTIBUS  
JUSTITIÆ ANNEXIS, ET VITIIS OPPOSITIS.

D. Th. a Q. 101. ad 122.

Abolutis his, quæ spectant Religionem, superest, ut agamus de cæteris partibus potentialibus Justitiæ, quæ sunt Pietas, Observantia, Dulia, Obedientia, Gratitude, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, & Epicheia.

DISSERTATIO I.  
DE PIETATE, OBSERVANTIA, ET DULIA.

D. Thom. QQ. 101. 102. 103.

ARTICULUS I.

De Pietate.

Dico 1. (Q. 101. a. 1. in a. s. c.) Pietas definitur ab August. libr. 83. *Quæstionum* q. 3. ex Cicrone: *Virtus, per quam sanguine junctis, Patriæque benevolis officium & diligens tribuitur cultus.* Explicatur. (Ib. a.) Homo efficiatur diversimodè aliis debitor secundum eorum diversam excellentiam, & secundum diversa beneficia ab eis accepta: in utroque autem Deus summum obtinet locum, qui & excellentissimus est, & est nobis essendi & gubernationis primum principium. Secundario vero nostri esse & educationis principia sunt Parentes & Patria, a quibus & in qua nutriti sumus. Et ideo post Deum est homo maxime debitor Parentibus & Patrie. Unde, sicut exhibere debemus cultum Deo ut primo nostri esse & gubernationis principio, qui cultus dicitur Religio; ita debemus exhibere cultum Parentibus & Patrie ut secundariis principii nostri esse & educationis; qui cultus dicitur Pietas.

Quia tamen, (Ib. a. 1. ad 3.) quæ sunt creaturarum, per quamdam superexcellentiã transferuntur in Deum; ideo, sicut Deus est & dicitur superexcellenter Pater noster, quia longè excellentiori modo est principium essendi & gubernationis quam Pater & Patria; ita cultus Dei per excellentiam nominatur Pietas, omne opus bonum, quo Deus colitur, dicitur opus Pietatis, & qui exercent, dicuntur pii. Et hoc est usitatissimum etiam in ipsis Scripturis. Item, quia (Ib. a. 1. ad 2.) Deus præcipue laudat opera misericordie, quæ sibi præ Sacrificiis placere testatur, ideo vulgariter opera misericordie dicuntur opera Pietatis, misericordes dicuntur pii, & Deus ipse in nos misericors dicitur pius Pater.

Porro (Ib. a.) in cultu Parentum includitur cultus omnium consanguineorum; non quod sint nobis essendi principium, sed quia in ipsis Parentum sanguis existit, eosque ideo representant. Et in cultu Patrie includitur cultus civium & omnium Patrie amicorum; quia in ipsis ut in nobis favorem & auxilium Patrie conspicimus, & ideo illam nobis representant. Itaque objectum Quod Pietatis est cultus & obsequium, ad quæ ordinatur; objectum Cui sunt Parentes & Patria: Objectum Formale sub quo est debitum ratione principii ortus nostri. Hoc debitum maxime respectu Parentum dicitur communitur non posse reddi ad æqualitatem: quod intelligitur in eodem rerum ordine & obsequiis ordinariis; nihil enim ventur in alio rerum ordine, & obsequiis extraordinariis, quin beneficium a Parentibus & Patria acceptum adequetur, imò & vincatur, ut si Filius eripiat Patrem a morte instanti, aut ipsum convertat ad veram fidem. Imò debitum Patrie non videtur tanti momenti, cum videamus summos viros, quibus omne solum est Patria hunc vulgarem Patrie affectum, licet alias non contemnendum, non magnificere.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Dico 2. (Ib. a. 3.) Pietas est virtus specialis. Colligitur ex dictis; quia nempe habet speciale objectum, scilicet cultum & obsequium, Parentibus & Patrie debitum, quatenus secundarium principium ortus nostri. Ubi autem est specialis ratio debiti, ibi est specialis pars Justitiæ ab aliis distincta. Nec observat, (Ib. a. 3.) Justitiã legalem etiam respicere Patriam; id enim fit sub diversa ratione: Pietas respicit Patriam secundum quod est quoddam essendi principium, & Justitiã legalem secundum quod est bonum commune.

Dico 3. (Ib. a. 2. o.) Ultra cultum & obsequium, quæ per se debentur Parentibus ut Parentibus, debentur alia per accidens, scilicet subventio in necessitatibus v. gr. ut visitentur, si sint incurati; curentur, si sint infirmi; sustententur, si indigeant; (Ib. ad 1.) quæ omnia sub debito obsequio continentur; & in quarto Decalogi præcepto, quod pertinet ad Pietatem, *Per honorationem Parentum* intelliguntur, ut ipse Christus interpretatur Matth. 15. Quamvis autem (Ib. ad 5.) hæc obsequia debeantur ex Pietate omnibus sanguine junctis & Patrie benevolis, non tamen equaliter omnibus, sed præcipue Parentibus; aliis autem secundum propriam facultatem & decentiam personarum, ut specialius dicam infra.

ARTICULUS II.

Utrum occasione Religionis sint præmittenda Pietatis Officia.

Dico (Ib. a. 4. o.) contingere non posse, ut occasione Religionis præmittenda sint veræ Pietatis Officia. Quia (Ib.) Religio & Pietas sunt duæ Virtutes. Nulla autem virtus alii virtuti contrariatur, aut repugnat; sed si quid virtuti contrariatur, jam desinit esse actus virtutis, & fit malus. Unde non potest esse, quod Pietas & Religio mutuo se impediant, ut propter actum unius actus alterius excludatur. Quapropter, (Ib.) si quoddam opus, quod videtur Pietatis, puta quoddam officium in Parentes, contrariatur Religioni, ita quod nos retrahat a cultu Dei debito, non erit verè Pietatis opus; quia non fiet cum circumstantia debiti modi; non est enim debitus modus, quod homo plus tendat ad colendum Patrem, quam ad colendum Deum, cum debeat homo parentes præ Deo odisse, hoc est minus amare. Matth. 10. & Luc. 14.

Dixi: *Si nos retrahat a cultu Dei debito*: quia, si cultus Dei sit liber, debet præmitti, & obsequium reddi Parentibus necessitate patientibus. Similiter, si sit tantum debitus ex Lege Ecclesiastica, ut si concurrat obligatio audiendi Sacrum & succurrendi Patri periclitanti, omisso Sacro, succurrendum est Patri; quia præstat obligatio Juris naturalis, quam humani.

Ex his colliges 1. (Ib. ad 4. item q. 189. a. 6. o. & quodl. 5. a. 16. o.) quod, qui adhuc est in sæculo constitutus, si habeat Parentes, qui sine ipso commodè sustentari non possunt, non debet eis relictis Religionem ingredi; quia